



VTRVM CHRISTVS MATREM GENVSQVE
SVVM DISSIMVLAVERIT ET
DESPEXERIT 17

DISSERTATIO 1784 3

THEOLOGICO EXEGETICA

QVAM

PRAESIDE

FRANCISCO VOLKMAR REINHARD

THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBL. ORDIN. AEDI ARCIS ET ACADEM. PRAEPOSITO
CONSISTORII ELECTORALIS ASSESSORE ET
PHILOSOPH. PROFESS. EXTRAORD.

AD D. OCTOBR. A. R. S. CIOCCCLXXXIV

E NVMERO EORVM

QVI PRIVATIM SCRIBENDO AC DISSERENDO SE EXERCENT

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS VOLBEDING

EX COMITATV BARBIENSI REV. MINIST. CAND.

VITEMBERGAE

LITERIS CAR. CHRIST. DÜRRIL.

1784



ATRAM CHRISTVS MATREM GENVSQVE
SVVM DISSEMINAVIT ET
DISPERXIT

DISSERTATIO

THEOLOGICO-PASTORALIS

DE

TRINIDADIS

FRANCISCO JOSEPHO RINNINGER

THEOLOGICO-PASTORALI DOCTORI

ET

PROFESSORI

AD D. M. OCTOBR. 1818

DE INVENIENDO

QUI ERVATIM SEQUITUR

DEUS

IN

IOHANNIS ERVATIM SEQUITUR

EX COLLEGIIS

UNIVERSITATIS

WURZBURGENSIS



VIRIS

PERILLVSTRI BV S GENEROSISSIMIS

ET SPLENDIDISSIMIS

FRIDERICO GOTTLOB
DE BERLEPSCH

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

IN SVPREMO SENATV ECCLESIASTICO

PRAESIDI GRAVISSIMO DYNASTAE

IN HENNIGSLEBEN CET.

ATQVE

RVDOLPHO DIETERICO
DE SCHOENBERG

SERENISSIMI PRINC. ELECT. SAX. CVBICVLARIO

DYNASTAE IN THAMMENHEIN BIEBERSTEIN

NIEDERZWOENITZ TREBITZ LAVTERBACH

GELENAV ET THVM CET.

DOMINIS ATQVE PATRONIS
INDVLGENTISSIMIS



HOC
PRIMUM SPECIMEN
TANQVAM PIETATIS SVMMAE ET ANIMI
DEVOTISSIMI
MONIMENTVM QVALECVNQVE
CONSECRAT
TANTORVM VIRORVM
MVNIFICENTIAE SESE
COMMENDATVRVS

AUCTOR
IOANNES FRIDERICVS VOLBEDING



VTRVM CHRISTVS MATREM GENVSQVE
SVVM DISSIMVLAVERIT ET
DESPEXERIT

Praestantissimos ex omni antiquitate inter se si comparamus viros, qui vel fundandis rebus publicis legibusque sapientissime ferendis bene de humano genere meriti sunt, vel ob admirandam in defendenda et tuenda patria virtutem animumque imperterritum quam maxime longam effecerunt sui memoriam, vel denique ob doctrinam exquilitiorem, et alios instituendi et formandi studium indefessum et ardorem, immortalitatis laudem sibi pepererunt: aequo meritorum iudici facile apparebit, Christianae religionis auctore maiorem vlllo vnquam tempore extitisse neminem. Quia enim non immerito



rito eum, qui *patriae*, in qua natus est et educatus, omni, quo potest modo, vtilis esse studet, praefendum censemus ei, qui priuatim tantummodo spectans commodum *omnia sua sibi suisque* debere arbitratur: quem tandem auctori religionis nostrae similem, ne dicam praefendum, putarem, quippe qui amore totius generis humani tenerrimo plenus, tale non solum *omnibus* auxiliandi cepit consilium, quale ante eius aetatem ne in mentem quidem vlli potuit venire, sed eo ipso etiam perficiendo consilio, ita sibi deuinxit omnes omnino homines, vti ante ab vlllo factum esse nec audiuius vnquam nec legimus.^{a)} Quare non potuerunt non mores viri huius diuini ac supra homines elati ita esse comparati, vt omnes, atque ipsi adeo aduersarii, qui non omnem aequi sensum penitus exuissent, facti cogerebantur, imaginem consuetudinis et animi, in eius vita expressam, plane singularem esse, nec quemquam, Christo parem, inueniri.

Neque tamen vlllo tempore defuerunt, qui Christi moribus ac vita etiam varie offenderentur, multaque in iis vituperanda et reprehendenda putarent. Quod etiam fecit et ausus est nuper auctor libri cuiusdam ignotus^{b)} qui Christum putat sollicitate de genere tacuisse, et cognatorum suorum manifestum prodidisse contentum. Nam etsi Iudaei, bene se ipsius familiam nosse dixerint, eum tamen semper, ne certi quid de humana origine possent conperire, elapsum esse caute, quotiescunque Iosephi situs appellaretur.^{c)} Idque forte,

a) Vid. quae de his disputauit auctor *Venerab. libri*, germanice conscripti: *Versuch über den Plan, welchen der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf*, inde a pag. 59. ed. alt.

b) Inscribitur hic liber, nitidissime impressus: *Natürliche Religion, nach Ursprung, Beschaffenheit und Schicksalen*. Berolin. 1784. Sed nobilissimam hanc Philosophiae partem tere non pertractat auctor, et versatur in conuellendis reuelatae religionis, inprimis Christianae, fundamentis.

c) Vid. libr. laudat. pag. 88. et 89. vbi ita: *und um sie noch mehr in Ungewissheit wegen seines Wesens und seiner Persönlichkeit zu lassen, scheint er* mit



forte, quum regno potiri vellet, Iudaeosque a Romanorum liberare imperio, nullam aliam ob causam, quam pudore familiae ignobilis, obscurae, et ob ipsam, quam inhabitabat urbem, ubique neglectae, contemptuque matris ad imam paupertatem depressae. Qua quidem re quum moribus Christi macula adspargatur non levis, vt et hanc diluamus, et illatam iniuriam a sanctissima Christi persona defendamus, dabimus operam, perquirenda diligentius quaestione: *utrum Christus matrem genusque suum dissimulerit et despexerit?* Et vt ordine procedat oratio, eos primum perlustrabimus locos, qui inprimis videntur ad hanc causam pertinere, iisdem legitime explicandis, omnibusque, quae lucem rebus ibi narratis poterunt afferre, diligenter considerandis. Quo facto, ad alia transibimus, ex quibus intelligi poterit, Christum ita fuisse animatum in matrem et cognatos, vt nulla in eum cadat reprehensio.

Reperiuntur itaque in historia vitae Christi aliquot loci, qui duritiam quandam et austeritatem Christi erga matrem atque propinquos, ex contemptu quodam eorum ortam, praeferre videantur. Qui loci, quoniam ad subtile iudicium de re, quam proposuimus, ferendum quam maxime faciunt, id mihi inprimis agendum esse duxi, vt ordine quodam eos recensere, paucis explicarem, et quantum horum auctoritate possit effici, viderem.

Quum

mit Absicht alle Gelegenheit vermeiden zu haben, die Menschen von seiner leiblichen Abkunft etwas wissen zu lassen, und suchte ihren Behauptungen, dass er der Maria und Josephs des Zimmermanns Sohn sey, auszuweichen. Ita etiam disputat p. 182. 183. et 184. et p. 192. er scheint diesen Umstand, so wie den von seiner leiblichen Geburt, mit Fleis im Dunkeln gelassen zu haben. et al. Eandem proposuit sententiam et afferendis multis N. T. locis exornauit auctor Hori inde a pag. 321. 326. et p. 337.

- a) Vid. libr. laud. inprimis pag. 174. 199. sed iam hanc tangere litrem nostrum non est.
- b) Nonnulla bonae fragis, inuenies in libro: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn*, pag. 304.





Quum Christus annum ageret duodecimum, parentes
 eius, ut Lucas II. 41. seq. memoriae prodidit, legibus ut ob-
 temperarent Iudaicis, Hierosolymam profecturi, eo etiam se-
 cūm adduxerunt filium, quem tamen, quum transactis fe-
 storum diem sollempnibus, reditum pararent, paulo negligenti-
 ores in vrbe reliquerunt. Eum igitur quum postea diu sed
 frustra variis locis anxie quaesuisent, Hierosolymam tandem
 reduces facti in Synagoga quadam, ad templi aedificium perti-
 nente, intenerunt. Anxia mater imo profundit pectore que-
 relas maternas, et quid quantumque, orba filio, passa huc
 usque fuerit, blandissimis exponit verbis. At filius, nihili
 et matrem et hanc eius sollicitudinem abspicere videtur, et *τί
 ὄντι ἐμὲ ἐρεῖ μὲ, ἰσχυρὸς ἐξ ἑστέων, ὅτι ἐν τοῖς
 τοῖς πατέρος μου δεῖ ἐμὸν μὲν.* Haec immodestius a Christo dicta non-
 nullis videbantur. Quum vero parum credibile sit, cum ma-
 trem, de filio recuperato lactantem, tum filium, parentes ite-
 rum conspicientem, ut tam caeca tantum proferrent verba, sese
 contigisse potuisse: Lucas et verborum, quibus mater appella-
 bat filium, et quibus hic sese purgabat matri, summam tantummo-
 do commemorasse putandus est, quae vero ipsa breuitate sua non ni-
 hil offensionis habet, et Iesum inducit paulo acerbius cum matre
 locutum. Sed si etiam Christum haec pauca tantum, quae
 Lucas affert, matri respondisse putaremus: haec tamen, quam
 dedit, ita est comparata responsio, ut contemptum matris mini-
 me prodāt. Etenim hoc tantum affirmat, parentes non habuisse
 opus, ut tantā animi cura atque aegritudine quaerere amif-
 sum filium. Num ignoratis, inquit, conuenientissimum esse, ut in
 paterno domicilio verser? Hoc autem domicilium esse templum,
 siue locum diuino cultui consecratum, facile intelligitur.

Quibus

Formulam *τί ὄντι ἐμὲ ἐρεῖ μὲ* aedem sacram indicare, multis exemplis docuere
 HAMMONDVS et WETSTENIVS ad h. l.

S A X

69

Quibus verbis admonere voluit Mariam, ne, quod aliquoties iam diuinitas ipsi manifestatum esset, obliuisceretur, *se Deum habere patrem, et ad res magnas esse natum, quae ad religionis illustrationem perirent*, quamuis huius responsi vim parentes eo tempore nondum satis assequerentur. Ita vero huic loco duri nihil inesse, quis non videt, cum potius sit *animi*, qui in hoc puero erat, *elati* non obscurum documentum.

Sed apud Iohannem c. II, 3, 4. est locus, eo, quem modo tractauimus, vt videtur, paullo difficilior. Verum et hic, si vsum linguae consuluerimus, neque versione vernacula tantum induci nos passi fuerimus, omni exiit difficultate. Celebrante nimirum quodam e propinquis parentum Christi (vti plerique omnes non immerito opinantur interpretes;) Canae in Galilaea nuptias, accidit, vt et Christus, cum discipulorum, quem secum ducebat, grege, in eius laetitiae societatem veniret. Mater vero, quae nuptias curasse videtur, propter inopinatam filii aduentum, mox vini penuriam adfore sentiens, rogat hunc, *vt abeat*, ne qui matrimonio modo erant coniuncti, ignominiae cuidam exponerentur. Neque enim eorum sententia probanda mihi videtur, qui Mariam verbis: *ἴσθω ὅτι ἐξ ἔσθω*, admonere voluisse credunt filium, *vt miraculo quodam edendo vinum existeret iuberet*. Iohannes enim non solum v. 11. hoc primum fuisse Christi miraculum, affirmat; sed et verba ipsa v. 4. si de miraculo cogitaueris, non satis apte *ad loquendi consuetudinem, quae aliis in locis obtinet*, dicta sunt. Nam si cum verbis *ἴσθω ὅτι ἐξ ἔσθω* ea, quae Ioh. VII, 6, 8. occurrunt, comparaueris, statim apparet, Christum vt in loco posteriori, se nondum posse proficisci Hierosolymam, contendit, ita etiam in hoc nostro significasse Mariae, se iam nondum posse abire. Sic cap. VII, 30. XIII, 1, rursus leges de tempore, quo Christus excessurus erat e vita. Quum tamen ex iis, quae v. 5. adiciuntur, verbis, intelligatur, Christum spem fecisse matri, velle se penuriam quam

B



quam metuat, aliquo modo impedire et leuare; Maria, etsi non expectabat miraculum, cum filium portenta edentem nunquam vidisset, confestim cohortatur famulos, vt, quod filius forte iussisset, statim exsequantur. Ea vero, quae Christus dixit, vt sollicitam, et (vt est ingenium muliebre) male sedulam erigeret matrem, Iohannes pro more silentio praeteriit.^{g)} Quidquid autem id fuerit, hoc certum est, hoc in loco erga matrem ita se gessisse Christum, vt eandem nec austere vituperaret aut contemneret, nec omnino, quod a pietate in illam esset alienum, committeret. Verba enim: *τί ἐμολ' ἔχῃ σοι;* quae saepe apud ARRIANVM in *Dissertat. Epictet.* occurrunt^{h)}, nihil aliud, nisi admonitionem continent, *ad nos rem aliquam non pertinere, nobis displicere aliquid, nec velle nos alterum audire, vel cum eo rem habere*, vt omnis acerbitas, quae quibusdam inesse videtur, vel plane sit nulla, vel, si qua interdum sit, ex rebus adiectis, et dicentis animo iudicari debeat.ⁱ⁾ Ita etiam hac locutione vtuntur Hebraei, vti doctissimi nostrorum temporum interpretes saepius admonuerunt.^{k)} Vocabulo vero *ἡνέρα*, quo Christus matrem allocutus est, et quod multis offensioni fuisse intellexi,^{l)} non inesse duram aut rusticam appellationem, Graece docti optime sciunt. Sic apud DIONEM L. I. pag. 305. Augustus blande alloquitur *Cleopatram*, his vsus verbis: *ἡνέρα, ἡ*

^{g)} Sermonum enim Christi multos *summatim* tantum conscriptos esse ab auctoribus vitae eius, satis probabile est, eamque inprimis *Iohanni propriam esse rationem, vt multa narrando omittat, et interdum adeo caput rei non tangat*, ex multis in Euangelio locis conspicitur, v. c. III, 1. ff. III, 24. IV, 43. 44. et al. Non inutile erit, legisse, quae *Illustr. MICHAELIS* monuit, in Praefat. ad *histor. resurrection.* pag. LXI. ff.

^{h)} Vid. l. l. c. 1. p. 2. et cap. 27. p. 140. etiam l. II, c. 19. p. 286. et alibi saepius.

ⁱ⁾ Conf. *Matth.* VIII, 29. *Marci.* I, 24. V, 7. *Luc.* VIII, 28.

^{k)} *2 Sam.* XVI, 10. *1 Reg.* XVII, 18. cet.

^{l)} Quod inprimis accidit auctori *Hori* pag. 325. vbi ita: *Sollte er sie nicht Mutter, sondern schlechtweg Weib oder Frau nennen?*

γύνας, καὶ θυμὸν ἔχει ἀγαθόν. In XENOPHONTIS *Cyrop. libr.*
 V. pag. 244. ed. Hutchins. Pantheam erigit e legatis quidam natu
 maximus his verbis, Οὐδέεις, ὦ γύνας, et *libr.* VII. pag. 391.
 Cyrus, consolatus eandem Pantheam, ob mariti Abradatae ne-
 cem, ἀλλ' ἔτος μὲν δὴ, ὦ γύνας, inquit, ἔχει τὸ κάλλιστον τέλος. Sic
 quoque *libro* VI pag. 358. et apud HOMERVM *Odyss.* τ. 221. et
 ANACREONTEM nonnunquam ita legitur, vt sit festiua allocu-
 tio seminarum honestissimarum. Qui loquendi vsus obtinet
 etiam in *Nov. Test.* vt: *Ioh.* c. IV. 21. XIX. 26. XX. 15. Quare
 si hunc locum ita reddideris: mitte me, o mea, nondum adest abeundi
 tempus, non possum statim discedere cum meis, omnis acerbitas erga
 matrem, quae Christo posset vitio verti, euanescit.

Nunc vero accedimus ad locum aliquem, quo inprimis
 vsi sunt, qui Christum matris et cognatorum contemptorem
 fuisse, eosque neglexisse arbitrantur. Quare huic paullo diu-
 tius immorabimur. *Matthaeus* scilicet *cap.* XII, 46. ff. atque
 etiam *Marcus* III, 31. ff. et *Lucas* VIII, 19. ff. narrant, quum
 Christus aliquando adhuc in eo esset, vt populum doceret, ma-
 trem Iesu, comitatum consobrinis^{m)} aliquot illius, venisse,
 eius conueniendi gratia. Hi igitur, quum ob densam multi-
 tudinem fores oblidentem (creuerat enim iam discipulorum
 turba, vid. *Matth.* XII, 49.) adire eum non possent, adstantes
 rogabant, vt voce, quasi per manus tradita, alter alteri id
 nuntiaret, vt tandem ex eorum vno, qui proxime Iesu adsi-
 debant, foris esse matrem cognatosque, audire posset. Quae
 res cum ad aures ipsius esset perlata, τίς ἐστίν, inquit, ἢ μήτηρ
 μου, καὶ τίνες εἰσὶν οἱ ἀδελφοί μου; Quae quidem responsio facillime
 quem-

B 2

^{m)} Ἀδελφοί enim esse cognatos, consobrinos et fratruales Christi, probabile
 est. Sic et *Hebr.* *Gen.* XIV. 14. *coll.* v. 12. XXXI. 32. In *N. T.*
 vid. *Ioh.* II. 12. VII. 5. *Gal.* I. 19. Nomina eorum leguntur *Matth.*
 XIII. 55. *Marc.* VI. 3. De consobrinis Ies. Christi. libellum scripsit
 SCHMIDIVS *Theolog.* Witteberg.



quemquam posset adducere ad credendum, *Christum; neque matrem, neque cognatos voluisse* audire, eosque adeo despiciatui habuisse, vt ne admittendos quidem censeret. Verendum tamen nobis non est, ne causa cadamus, aut existimandum, quam defendendam nobis rem sumserimus, eam statim esse deserendam; sed eo ipso loco, qui nostrae sententiae maxime videtur aduersari, eam adeo confirmari, iam videbimus.

Consideranti enim vnique totum huius *ἐξουσιος* cum iis, quae proximè antecedunt, nexum, statim apparebit, Iesu matrem cum cognatis eum adiiisse et tempore non satis opportuno, *at consilio* haud graui, sed vano, neque vlllo alio, nisi vt omnes intelligerent, sibi vt matri atque propinquis datum esse hoc, vt satis pro imperio, quiduis possent a Christo postulare, adeoque, vt statim, missis omnibus foras prodeat, flagitare. Quod si enim de religionis placitis disserere forte cum Christo voluissent, eum iam vt euocarent, non erat opus, sed Christo potius, salutiferam tradenti populo doctrinam, aures adhibere, aut quae cum eodem habebant communicanda, vt publicae omnium inseruirent utilitati, non seorsim, sed palam debuissent proponere. Sin eam ob causam eius colloquium postuissent, vt de priuatis rebus cum eo sermocinarentur, quis, quae so, est, quin intelligat, eos satis inepte Christum, negotio implicatum grauissimo, vt foras prodeundo, finem docendi faceret, rogasse. Hanc ipsam etiam matris Iesu et consobrinorum eius importunitatem subobscurè notare mihi videtur ipse *Matthaeus*, *ἔτι δὲ αὐτῆ καλεῖντος* inquires, *ἰδὲ ἡ μήτηρ κ. λ.º*) Iesus igitur hocce suorum consilium perspiciens, et hac ipsa offen-

*) Id obseruauit CHRYSOSTOMVS *Hom. XLIV. in Matth. pag. 495. coll. Hom. XX. in Iohann. pag. 132. extrema;* edit. Duc.

*) Ita quoque CHRYSOSTOMVS *Hom. XLV. in Matth. pag. 498. coll. Hom. XX. in Iohann. p. 133. a verbis ἰνοῦτοι γὰρ ἕωςque ad ἀδελφοί μου;*

sus importunitate, *τις ἐστὶν ἡ μήτηρ μου*, respondit, *καὶ τίνες εἰσὶν οἱ ἀδελφοί μου*; Sed ex tota orationis serie statim intelligitur, hac respon-
 sione nihil aliud significasse Christum, quam, *se se nunc
 intempestivum hunc amicorum conuentum non posse curare, et matrem
 cognatosque nihil iam ad se pertinere*; se enim iam, rebus diuinis
 occupatum, atque cinctum hominum corona, qui atide tacite-
 que imbiberent doctrinam salutarem, horum saluti debere pro-
 spicere, quippe quos eodem, quo matrem, sorores, fratres-
 que complectatur amore. Vnum enim quemque, voluntati
 diuinæ maxime obtemperantem, sibi quoque esse coniunctissi-
 mum atque carissimum,^{p)} et interna quadam, quæ animo
 contrahatur, iunctum amicitia. Qua re mirifice captavit au-
 ditorum beniuolentiam. Ex ipso tamen matris et cognatorum
 facto, quamuis importuno, satis apparet, illos Christo vsos,
 esse in reliqua vita familiariter. Quod si enim iam antea eos
 neglexisset, id profecto, quod petierunt, petere ab eo, non
 fuissent ausi. Christus itaque non pudore matris et cognato-
 rum ita respondit, aut negavit, a Maria se progenitum, et
 cognationis vinculo coniunctum esse cum iis, qui se consō-
 brinos ipsius appellarent:^{q)} sed iis ipsis potius, quibus vsus est
 verbis, Mariam recte dici matrem, et ἀδελφός istos vere sibi
 cognatos esse, diserte profitetur. Id modo negat, se statim
 posse aut velle, quod imperarent, facere. Et in hoc admi-
 rau-

B 3

rau-

p) Vocabulum enim *μήτηρ* dici de ea, quæ matris instar amatur, et ἀδελφός
 esse, nobis carissimos, loquendi vsui apprime conuenit. Sic *Ioh. XIX. 26.*
 Christus moribundus Iohannem verbis *ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοί σου* admonet, vt nunc
 Mariæ curam in se suscipiat, eamque vt matrem veneretur. Etiam apud
 CYRILLUM VI. 9. 12. est locus, vbi Alexander milites allocutus ita dicendi
 finem facit: *in vobis liberos, parentes, consanguineos habeo.* Vid. et
 WOLFIVM in curis ad *Matth. XII. 50.*

q) ταῦτα δι' ἑλπίου, ita, CHRYSOSTOMVS *Hom. XXV. in Matth. p. 495.*
ὡς πατριάρχαι ἐπὶ τῇ μητρὶ, καὶ ἀδελφοὶ τῶν γαλιλαίων. Et sic quoque
 pag. 498. et *Hom. XX. in Ioh. p. 133. ὡς ὑβρίζου τῶν γαλιλαίων ἀπαρχή,*



randam puto Christi sapientiam, qui et hac occasione, vti
semper facere consuevit*) matris, cognatorum, reliquorumque
tunc temporis praesentium inferuaret utilitati. Responſionem
enim dedit eam ἐχ ὑβριζῶν, vt verissime monet CHRYSOSTO-
MVS, ἀλλὰ διαφερόμενος. Matrem enim Christi non recte de eo
sensisse, reliquosque etiam eius cognatos parum honorifice de
eo cogitasse,*) id eum tantummodo, qui Apostolos reliquos-
que aequales ciuesque Iesu omnes ab hoc vitio liberos pronun-
tiare audeat, negaturum esse existimo. Ad rectam igitur digni-
tatis suae conuenientem opinionem vt sensim sensimque et
// matrem et cognatos perduceret Iesus, matrem vero, quae forte
// tali filio nimium superbiebat, adeoque omnes simul alios, re-
bus quibusdā externis nimium tribuentes, veramque animi
nobilitatem, quae virtute sola continetur, negligentes, edo-
ceret, sine pietatis studio, dotes, quas ore pleno laudare ple-
rique soleant, inanes esse et fallaces, quum Christum adeo
genuisse ipsum, et cum ipso Dei filio cognatione iunctum esse,
nihil proſit, nisi simul diuinae pareas voluntati: eas ob causas,
inquam, Christus, dicentibus, matrem cum cognatis a desse,
ipsumque foras prodire iubere, paullo durius videtur respon-
diffe. Ita quoque hunc locum doctissime, more suo, exposuit
CHRYSOSTOMVS (hom. in Iohann. XX. pag. 133.) cuius aucto-
ritate iam saepius magna cum voluptate fuimus vsi: εδέπω γὰρ,
ἢν ἐχρῆν, περὶ αὐτῆ δόξαν εἶχον· ἀλλ' ἐπειδὴ ᾄδιεν αὐτὸν, ἤξετε κατὰ τὴν
λοιπὴν τῶν μητέρων συνήθειαν, ἕως ἅπαντα ἐπιτάττειν αὐτῷ, δέον ἄς δασ-
πότην σέβειν καὶ προσκυβεῖν. Διὰ τὸτο ἔν τότε ἕως ἀπεχερίνατο.

Diligenter igitur habita loci temporisque, quo Christus haec
matri dixit, ratione, si cogitauerimus, quo consilio cognati Iesu
collo-

*) Vid. e. c. Luc. VII. 37. XIV. 7. et v. 15. Matth. XI. 2. ff. et plura ex-
empla in libro: Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale, etc.
pag. 82. ff.

*) Vid. Iohann. VII. 1. ff. inprim. v. 5.

colloquium desiderasse videantur, et *quo animo* (non in fensio profecto, sed vsui matris, cognatorum, reliquorumque fere, qui aderant omnium, consulente;) Christus, vti auctores vitae eius perhibent; respondisse dicatur, et eum denique *statim, hac oratione finita*, prodiisse foras: neminem arbitramur fore, qui nobis obiiciat, Christum ita sese erga matrem cognatosque gerendo, fecisse, quod esset a pietate in parentes, propinquosque alienum.

Nec plane omittendus locus alius apud *Lucam cap. XI. 27.* Quum Christus, edito miraculo, sese a calumnia spectantium defenderet, mulier quaedam, audiens Iesum, et veritate, et suauitate orationis ita capiebatur, vt non posset non alta voce, matrem, quae tantum enixa sit magistrum, praedicare beatissimam. Atque id ipsum quoque largitur Iesus; statim enim adiecto vocabulo *μενέω*, quae dixerat mulier, esse vera, contendit. Verum ac si matris nullam habendam putaret rationem, ex alio plane genere addidit verba: *μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τῆς Θεῆς, καὶ φυλάττοντες αὐτόν.* Sed Christum hoc modo iniquum fuisse in matrem; nemo arbitrabitur. Etenim hisce *docere tantum voluit, ad eandem, cum matre felicitatem aspirare posse et alios omnes;* et quoniam expertus sciebat, matris suae cogitationem multos offendere, et doctrinae suae contentum saepe iam effecisse, statim ab originibus suis humanis et obscuris conuertit iterum ad doctrinae praestantiam auditorum animos. Quam alio fortasse tempore, magis idoneo, laudibus in coelum extulisset matrem, eiusdem iam, ne maius damnatum

*) *Ἐστὶ γὰρ* Cita CHRYSOSTOMVS *Hom. XXV. in Matth. pag. 498.* καὶ τὸν γινώσκοντα μὴ εἶναι πατέρα, καὶ τὸν γινώσκοντα, εἶναι. Illustrari posset ratio, qua Christus non hoc solum loco, sed in iis etiam, quos laudauimus, et in permultis aliis; huc non pertinentibus, locis, in respondendo vsus est, ex methodo docendi, quam Christus cum reliquis doctoribus Iudaicis habuit communem. Vid. librum: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale* cet. pag. 63.

damnum oriretur, non meminisse, temporis ratio, cui sapien-
ter cedit, haud obscure suadebat.

¶ Sed non id solum, quod humili loco natus erat Iesus,
¶ saepe doctrinae obscurum, verum etiam illud potuisset detrimento
¶ esse, quod Christum stirpe Davidis regia ortum esse sciebant.
¶ Quare et ab hac parte diligenti semper opus fuit cautione, ne
¶ vlla vnquam occasione spem libertatis, quam ab aliquo inde
¶ tempore iam conceperant Iudaei, ad seditionem prouocaret,
¶ atque foueret. Atque in eo quoque inest ratio, qua permou-
¶ tus de origine, quam e Davidis posteris traxit, *perraro, obscure,*
¶ *et ita locutus est, ut, qui hoc ignorant, facile possint adduci, ut existi-*
¶ *ment, Christum negare voluisse hunc ortum.*

Quibus praemisissis breuius poterimus defungi loco apud
Matth. XXII, 42. ff. coll. Marc. XII, 35. ff. et Luc. XX, 41. ff.
Christum enim hoc in loco paria retulisse paribus, et Phari-
saeis (qui ex eo quaesuerant aliquid, vid *Matth. loc. cit. v. 35.*
36.) soluendam dedisse vicissim quaestionem: *quidnam tandem*
ipsis videretur de Christo, e cuius posteris eum putarent oriundum? ora-
tionis nexus aperte docet. Hanc vero quaestionem eos non
potuisse soluere, tradunt scriptores sacri. Atque eius rei cau-
sam puto fuisse eam, quoniam ad hanc rem respondere nollent.
Hoc enim si fecissent, concedendum iis erat, Christum,
quem *Davidis in Psalmo CX.* nomine quodam, Deo soli proprio
(אֲדוֹמִי) appellauit, simul esse Deum. Quo facto Iesus etiam,
quum de industria eos silere intelligeret, nihil ad expediendam
hanc quaestionem adiciendum esse existimans, conticuit. Prou-
ti, ut hoc vtar, ex alio apud *Matth. XXI, 23.* loco in more id
ipsi fuisse constat, quum Pharisei quoque, quid ad Christi in-
terrogationem responderent, se non habere, simularent. Chri-
stum vero, quum ita ageret, et incertos quasi dimitteret Phari-
saeos, se esse e Davidis gente ortum, negauisse, quis contem-
deret, quum vtrumque et e Davidis posteris nasci, et diuino in-
figari

signiri nomine simul possit habere locum. Sed his locis diutius inhaerendum non est, potius, ut supra est propositum, ad alia transeundum, quo clarius adhuc elucēscat, Christum genus suum non de industria, aut quoniam familiae ipsum puderet, occultasse.

Quum itaque animus Christi eiusque mores, in vniuersum si spectaueris, tales sint, ut austeritas quaedam in matrem et cognatos ne cadere quidem in eum posse videatur: nos quidem iam non exprimamus plenam aliquam vitae morumque Domini imaginem,*) ne videamur exili disputatione rem grauissimam eleuare velle. Ne tamen hoc argumentum, ex quo nonnihil vtilitatis ad rem nostram peruenire posse putamus, silentio plane praetereamus, breuiter tantum diuinam animi indolem, quae in Christo erat, adumbrabimus, et ad causam nostram paucis transferemus.

Ex iis igitur omnibus, quae et acturus erat, et peregit etiam, quum inter homines viueret, Christus, etsi singularis sapientia elucefcit, quae nunquam errauit, nunquam lapsa est; in exsequendis autem consiliis fortitudinem et constantiam demonstrauit Iesus, quae impedimentis nullis, nullis voluptatum illecebris, nullo periculorum metu poterat a proposito dimoueri: hae tamen dotes, quibus facile concitatur hominum admiratio, longe superantur fauore Iesu erga homines omnes, eiusque beniuolentia, qua nihil maius atque praestantius, nihil augustius est atque diuinius. Etenim si nulla re alia propius accedimus ad Deum, quam beneficia quam plurimis tribuendo, quis tandem, quae-
so, praeter Christum, illam cum Deo similitudinem plenius assecutus est, qui, uti patriam omnem transiuit *εὐεργετῶν* v) et
C curae

*) Imagines morum Iesu copiosiores et accuratas expresserunt DVCHAL, S. V. LESS, Rich STEELE et al. vid. etiam EBERHARDYM in *Angu-
tor. epist.* 36—39.

v) Vid. *Act.* X. 38.



curae cordique sibi esse Iudaeorum salutem, lacrimis saepe numero testatus est, ita etiam amore omnium hominum ductus, mortem adeo subiit crudelissimam. Hinc illa in corrigendis Iudaeorum et inprimis amicorum erroribus, lenitas, hinc illa in perferenda suorum tarditate, patientia, hinc illa ad vnumquemque sese accommodans et componens comitas, hinc illa denique, quam *auctor libri supra laudati*^{w)} longe maximam et admirandam profitetur ipse, animi mansuetudo. Quem igitur tanta beniuolentia et aequitate, tantoque in omnes amore fuisse scimus; quo iure quibusue argumentis permoti eum putaremus hos, quos magis adhuc debebat amare, cognatione et sanguine iunctos, neglexisse et parui aestimasse? Etenim negare, te tuis parentibus vsum esse, et contendere, cognatos nihil ad te pertinere, quid, quaeſo, aliud est, quam eos negligere atque despiciere? Accedit et hoc, Christum in eligendis amicis intimis, quibus omni vsus est tempore quam familiariter, quos in oculis tulit, et vbique fere itinerum socios sibi adiunxit, non spectasse generis nobilitatem, doctrinae famam, opum magnitudinem. Sed ex infima plebe et ex abiecto hominum genere atque ex ipsa familia, neminis vel auctoritate vel consilio impulsus, ipse conquisiuit, quos amicis adscribi et quibuscum semper vellet viuere. Nec id fecit necessitate quadam coactus, vel quod nullus ipsi ad alios pateret aditus. Potuisset enim e nobiliorum et potentum genere, si animus fuisset, facile sectatores sibi conciliare, quum *Nicodemum* Pharisaeorum vnum, qui *Ἰσχυὸν τῶν Ἰουδαίων* dicitur *Iohann. cap. III. 1.* sponte ad Christum accessisse, eiusque consuetudinem studiose quaesiuisset, vulgo sit notum. Praeterea etiam Iesus, quamquam non semel a nobilissimis inter Iudaeos conuiuuiis exceptus est, minime tamen fastidiuit, quos odio et despiciatui omnes habere-

w) *Natürliche Religion* cet. pag. 177. et 178.

habebant, portitores eique hominum generi similes. Qui igitur inopes, tenues atque humiles in amicitiae societatem venire passus, eorumque consuetudine delectatus est, quamquam facile potuisset principibus viris adiungi, et cum proceribus populi sui versari: eum cognatos adeo, ab ipsa natura sibi arctissime iunctos, neglexisse et contempsisse, quis quaeso arbitretur?

Ea vero omnia, quae haecenus paucis de moribus Christi differuimus, quamquam nostram egregie adiuuant et confirmant causam: tamen si locis quibusdam *Nov. Test.* suffulciantur, maioris esse ad illam momenti, et probabiliora fieri, nemo non videt. Quare ut et ab hac parte nostram tueamur sententiam, inspiciamus ex historia Iesu locos quosdam, et quid, quantumque horum auctoritate possit constitui, exponamus.

Ac talis locus est apud *Matthaeum XIII, 53. ff. coll. Marc. VI, 1. ff. et Luc. IV, 16. ff.* ubi Christus, quum Nazaretham, in urbem patriam venisset, in Synagoga summa cum auctoritate et pari cum mansuetudine docens, fertur omnium ita in se conuertisse oculos, ut adstupentes demirarentur auditores eius dotes praeclaras, et placidam, amabilem vereque diuinam differendi facultatem. Quam ob rem quum eum omnes suspicere debuissent atque venerari, accidit, ut, quoniam patris *Iosephi fabri*, tenuitatem nouerant, *Iesumque ipsum eandem didicisse eum patre et exercuisse a pueris artem*, bene sciebant (quare a *Marco* dicitur ὁ τέκτων*) atque etiam eorum, qui cognatione eum attingebant,

C 2

x) *Marc. VI, 3.* Negauit quidem *ORIGENES contra Celsum l. VI, p. 299.* ed. Spenc. Christum in Euangelis appellari fabrum; cuius auctoritate usus *MOSHEMIVS in Comment. de rebus Christianor. ante Constantinum* magnum lesionem loci aliam, a codicibus nonnullis et versionibus antiquis expressam, τὸ τέκτωνος ἕως, receptae praefereendam censuit. Sed tenenda est, si quid videmus, lesio ἰ τέκτων, quam bene vindicauit *MILLIVS in prolegom. §. 698.* cum altera manifeste profecta videatur a superstitione eorum, qui artem fabrilem Christo indignam esse putarent.



bant, fortem satis perspectam habebant, ob eam ipsam generis humilitatem eum vehementer despicerent, et rei nouitate perturbati quaerent, vnde Domino, quem Pharisaeorum scholas nunquam frequentasse auribus acceperant, oculisque viderant, tanta contigisset vis ingenii tantaque dicendi facultas? Ac ne quis forte arbitretur, quod Nazarethani de stirpe Iesu sciuerint, id aliis in regionibus et vrbibus ignotum fuisse atque occultum: *Iohannes in Euang. VI. 42. idem, quod in vrbe patria, Christo accidisse narrat ad lacum, qui a ciuitate Tiberiade nomen habet, vt scilicet homines, qui e variis Iudaeae regionibus confluxerant, nouo quodam miraculo satiari cupientes, offererentur oratione illa Christi paullo difficiliore de pane coelitus demisso, et musitantes quaerent: nonne hic est Iosephi filius, cuius nos etiam patrem matremque bene nouimus?*

His igitur locis varie in rem nostram vti possumus. Cum enim ex iis, quae hic narrantur, satis constet, non incolas modo vrbis Nazarethae, et Iesum ipsum et genus eiusque familiam omnem bene sciuisse; sed et plurimos Iesu populares atque aequales notitiam eius rei habuisse: *postulandum quoque eam ob causam non est, talem in Nov. Test. libris occurrere debere locum, in quo semet ipse Iosephi filium, ex Dauidis gente oriundum, Mariamque esse matrem, Iesus ex instituto tradat multisque probet, quum multae potius grauissimaeque adsint causae, quae vt contrarium faceret, ab eo exigebant. De eius enim ortu et gente quum tunc temporis ne minima quidem suborta esset dubitatio: aequo mirum profecto vnicuique posset videri, si, quod hominum nemo infitiabatur, et quod e stemmatis, apud Iudaeos vtitatissimis, satis constabat, demonstrare voluisset*) ac si, ea re in dubium vocata, occasionem quamuis, quae ipsi sese obtulisset, non

y) Quae observatio non inutilis profecto est, ad diiudicanda ea, quae in *Horo* pag. 327. leguntur.

non auide arripuisset. Nobis igitur satisfacere et possunt et debent tales loci, in quibus aliorum sententiae de gente et cognationis non aperte contradicit, sed tacite modo subseribit. Atque tales, quos posuimus, esse locos, quis est, quin intelligat? Etenim haud scio, an vlla vnquam ad negandum cognationis vinculum, quod ipsi cum matre reliquisque intercedebat propinquis, magis idonea excogitari potuerit occasio, quam illa ipsa, tunc temporis oblata, qua non nisi sordida propinquorum conditione offensus Iudaei, ipsam simul doctrinam respuebant. Quod et obseruauit CHRYSOSTOMVS (*hom. in Matthaeum XLV. p. 498.*) *ὡς εἶπε ἀρνίσεσθαι ἤθελε τὴν μητέρα, ὅτε ἐκείνον ὠνειδίζον, τότε αὐν ἠενήσατο.* Ille vero tantum abest, vt ciues reliquosque Iudaeos, progeniem enarrantes, erroris conuincat, et hanc a se amoliatur ignominiam, vt in eorum potius eat sententiam, seque Mariae filium, reliquosque omnes vere sibi cognatos esse, iis ipsis, quibus vsus est verbis, confiteatur. Eam fuisse, (ita enim Iesus respondit;) priscis iam temporibus prophetarum fortem,*) vt a ciuibus incredulis non recepti, sed spreti et contemti, alibi nominis fama et virtutibus inlarserent. Sese igitur, quod *ἐν τῇ πατρὶδι αὐτῆ, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτῆ* spernatur, haudquaquam mirari. Quid igitur verba: *ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτῆ* sibi volunt? Reprehendit scilicet Iesus cognatos, parum honorifice de se iudicantes et incredulos.**) Quare vt familiam his verbis tetigisse intelligas, apud Marcum adiecta etiam leguntur verba: *καὶ ἐν τοῖς συγγενέσι.* Num Christus igitur pudore gentis, quacum erat coniunctus, occultasse originem dicendus est, quum tamen eo ipso etiam, quo sibi maxime opprobrium erat tempore, Mariam caeterosque, quorum nomina ibi leguntur, *συγγενέσι* esse affirmet.

C 3

Multo

*) Conf. etiam *Luc. IV. 24. ff. 1 Reg. IX. 17. et 2 Reg. V. 14.*

a) Vid. *Ioh. VII. 5.*



Multo luculentior his, quos modo produximus locis, est alius apud *Iohannem VII, 25. ff.* Quum Christus ad celebrandum diem festum Hierosolymam profectus latuisset primo ad breue tempus, et varii de eodem in vulgus spargerentur rumores, tandem publice prodiit, et ea docuit confidentia siue *παύσησιν*, vt eam multi admirarentur v. 26. Et quoniam id inultum auferebat a Iudaeorum proceribus, confectum esse opinabatur multitudo, illum vere esse Messiam. Is modo restabat iis adhuc scrupulus, qui illos male vrebatur, cuius v. 27. fit mentio. Arbitrabantur enim, quando Messias venisset, unde *ortum traxerit, qui sciat, fore neminem,*^{b)} quum de hoc tamen *constet, unde sit?* Et Christus, vt, quam fieri posset, planissime doceret, suum sese minime dissimulare genus, sed id cuius esse notum, *ὡς ἐστὶν εἰδέναι*, inquit v. 28. *ὡς ἐστὶν εἰδέναι πρὸς θεὸν ἐπι:* verum ea se docere non sua, sed Dei auctoritate, quem tamen ignorant, contendit.

Quod efficere haecenus studuimus, id ipsum manifestius adhuc confirmari puto alio apud *Iohannem II. 12. loco;* eius igitur tribus tantummodo, vt aiunt, verbis faciamus mentionem. Iesus scilicet, edito iam primo Canae in Galilaea miraculo, comitatus matre, cognatis atque discipulis, iter fecit Capharnaumum. Quo quidem ex itinere, in quo sibi matrem amicosque adiunxit comites, facile perspicitur, Christum suos minime spreuisse, vel vitasse eorum consuetudinem. Neque enim eos si neglexisset, atque tenui illorum conditione si detrahi sibi multum de ea, quam adeptus erat, dignitate atque auctoritate existimasset, vt secum proficiscerentur, fuisset passus. Tantum vero absuit, vt eos, quominus itineris socii essent, vlllo impediret modo, vt hoc ipsum, de quo iam nobis sermo est,

b) Fabulas Iudaeorum de hac re quaedam collegit WERTHEIMER *Nov. Test.* Tom. I. pag. 887.

est, iter suscepisse videatur, beniuolentiae matris cognato-
rumque fauori sese commendaturus. Quum enim nec quonam-
illud iter Capharnaum fecerint consilio, nec quid ibi pere-
gerint, narretur, omisisset profecto Iohannes hunc versum,
nisi lectores voluisset monere, Christum hoc matri cognatisque
dedisse,*) ne ipsum Hierosolymam ad celebranda Paschatis sol-
lemnia profecturum, comitati, in rebus ibi agendis impedirent,
atque in mandato diuino exsequendo obessent magis, quam
prodesse. Saepius enim efflagitabant cognati Iesu, in eius
societate versantes, ea, quae, si semper et Hierosolymis adeo,
facturus fuisset, Iudaeorum, atque inprimis Pharisaeorum,
qui odio eum persequebantur cruento, exacuissent magis ini-
micitias. Quare alio etiam tempore, quum dies Iudaeis inpri-
mis festus atque religiosus, quem Graeci *σκηνοπηγίαν* dicunt,
instaret, vt secum Hierosolymam non peterent, hortatus est
propinquos, eosque precatus, vt sibi soli proficisci liceret.
(vid. *Ioh.* VII. 1. ff.)

Qua igitur per totum vitae tempus parentes atque cognato-
s pietate coluit; quo semper Mariam amore complexus esse
putandus est Iesus, eandem pietatem eundemque animum ma-
tris amantissimum, quum cruci affixus penderet, doloribus-
que vexaretur acutissimis, non exiit, sed vt omnes, quam cara
sibi fuerit mater, intelligerent, de eius salute sollicitus, et Iohan-
nem sibi dilectissimum de cruce conspiciens, allocutus est atque
precatus, vt, quam ipse amplius alere et tueri non posset ma-
trem, eam filii instar, diligeret, curaret, tueretur. Quam
in manus quasi datam accepit, acceptamque in domicilium re-
cepit

*) Ita etiam iudicat *CHRYSOSTOMVS* *Hom. in Iohann. XXII. pag. 144.*
ἀπειλῶν γού, καὶ ὀλίγος διατείνας χρόνος, διὰ τῆς εἰς τὴν μητέρα τιμῆς. vid.
etiam *ERASMI paraphrasis ad Ioh. II. 12. 13.*



cepit Iohannes. ^{d)} Hoc igitur loco, ab hac parte considerato, et si legitime et ad usum loquendi accommodate possemus ad tuendam causam nostram vsi; tamen, si eundem *ad probandum amorem matris et cognatorum erga Iesum tenerrimum* adhibuerimus, multum, quod e re nostra sit, ex eo intelligi posse arbitramur. Quare hoc argumento paullo accuratius exposito, dicendi finem faciamus.

Iudaeorum itaque maxime autem Pharisaeorum inimicitias et odium timere debebat, et vereri, neque adeo ab ipso mortis periculo liber erat is, qui eo tempore, quo Christus libere adhuc docens in Iudaea versabatur, sese discipulum illius profitebatur, atque vel amare, vel certe non improbare videbatur eius doctrinam. ^{e)} Quod accidisse *Nicodemo* innuit *Iohannes VII, 50. ff.* qui hac ipsa de causa, quod capitis periculum subire noluit, nocturno tempore (vid. *Ioh. III. 1. 2.*) Iesum, quem amabat, adiit, doctrinam eius auditurus. Quod si igitur iam tunc temporis, quum Iesus adhuc liberam docendi potestatem haberet, rebus eius sese immiscere, fuit longe periculosissimum, quanto maiori discrimini exposuisse se, aut quanto magis dilexisse Iesum dicendus est is, qui tum etiam, quum iam magistratus Iudaici iussu et auctoritate ad supplicium duceretur, ab eius partibus se esse, vel verbis vel factis testabatur? Neque amici Christi fuga salutem petiissent, neque Petrus eo delapsus esset, ut Iesum, cui saluo atque incolumi temere
et

d) Vid. *Ioh. XIX. 25. 26. 27. coll. CRYSTOSTOMI Hom. LXXXIV. in Iohann. pag. 544.* Eo etiam loco vltus est auctor *Hori pag. 326. vbi ita: Darinnen (An der Verachtung seiner Mutter) blieb er so beharrlich, dass er sogar am Creutze seine Mutter nicht Mutter, sondern Weib nennete. Weib, siehe das ist dein Sohn, sagt er zu ihr: De vocabulo *vny* vid. quae supra notauimus.*

e) Conf. *Ioh. IX. 22.*

et audacter quidvis pollicitus fuerat, abnegaret, nisi vitae illius, qui a Iesu partibus stabat, fuisset timendum. In hoc enim supplicio de Christo sumendo, omnem misericordiae sensum amisisse videbantur Iudaei; et quum alioquin euenire soleat, ut in exsequenda necis poena ad misericordiam in reum, quem viuum omnes oderant, flecti soleant spectatorum animi, omnia tamen hic fuere alia. Etenim furor Iudaeorum in Iesum, quem male multatum, verberibusque caesum vsque ad necem, quem crudeliter dilaceratum et suspensum e cruce conspexerunt, cum ipso Christi cruciatu crescere videbatur et augeri. Et, Christo iam in cruce mortuo, rem periculosam ausus esse ob eandem Iudaeorum rabiem traditur Iosephus, Arimatheensis senator, quum Pilatum supplex adiret, ut sibi, honorifice sepelire Iesum, liceret. Marcus enim (XV. 43.) de Iosepho dicit: τολμήσας εἰσῆλθε πρὸς Πιλάτον κ. λ. f. Non vero Pilatum, sed summorum potius pontificum et totius Synedrii iram atrocissimam et furorem debebat extimescere, qui causam eius, quem ut seditiosum ciuem et hostem patriae capitis damnauerant, vilo vnquam modo agere sese, significabat.

Et hoc ipsum vitae periculum praesentissimum non impediuit matrem, atque alias etiam feminas, necessitudine cum Christo coniunctas, quominus eum ad crucem prosequerentur, et assiduis, quas profundebant, lacrimis, Iesum in medullis ipsarum haecisse ac visceribus, eiusque morte violenta facere sese iacturam inaeestimabilem, coram toto populo indicarent. Καὶ τὸ ἀδενέστερον γένος, ait hac de re CHRYSOSTOMVS (Hom. LXXXIV. in Iohann. p. 545.) ἀνδρείστερον ἐφάνη τότε. Et alio loco

f) Conf. CHRYSOSTOMVS Hom. in Matth. LXXXIX. pag. 913. et MICHAELIS in histor. resurrect. pag. 56. et 61. Sic et vid. Ioh. XIX. 38.



co (Hom. LXXXIX. in Matth. p. 913.) καὶ σφόδρα πρὸς αὐτῶν ἡ
 προσεδείξα. Ἐκολέθει αὐτῷ διακονήμενη καὶ μέχρι τῶν κινδύνων παρη-
 σαν, — τῆτο μέγιστα ἐπίδεικνυται τὴν ἀνδρείαν. Καὶ εἰ μὲν μεθυσθεὶς
 ἔφυγον, αὐτῶν δὲ παρήσαν. Quid igitur has mulieres potuisset
 commouere, vt vitam adeo ipsam in mortis periculum de-
 mitterent, nisi Iesus, in vita ante oculos, pietate erga matrem totamque
 domum summa, pari se dignum reddidisset amore? Atque haec
 res ad demonstrandam hanc Christi pietatem in matrem et
 omnem familiam vim habet tantam, vt, si nullo alio docu-
 mento confirmari posset, vel hoc vnum aequo iudici satisfacere
 posse videatur.



AVCTORI DOCTISSIMO

PRAESES

Varis et undique circumfusus molestiis, quas si sentiunt, qui do-
cent in academiis, nulla potest melior inueniri leuatio, quam se
videmus, esse, qui litterarum incredibili pulcritudine commoti et incensi,
vulgarem plurimorum igniuiam contemnant, et liberali studio ad erudi-
tionis verae laudem enitantur. *Mihi quidem Societas Iuuenum Opti-
morum, e qua TV nunc publice prodis, VIR DOCTISSIME, et
cui per aliquot annos adscriptus fuisti, omni tempore tam iucunda fuit,
ut non modo vitae academicae molestias saepe abstergeret, sed efficeret
mollem etiam et iucundam. Eam voluptatem magnopere auxisti TV,
VIR AMICISSIME, partim elegantia et castitate morum, qua semper
floruisi; partim indefesso studio, quo litteras omnes, imprimis theolo-
gicas, coluisti; partim denique TVA in me beniuolentia, quae semper
fuit longe maxima. Plurimi quidem eorum, qui sacris litteris operam
se dare profitentur, consecuti sibi videntur omnia, si, triennio in acade-
mia utcumque transacto, his, qui ad munus sacrum accessuros explorant,
ita responderint, ut qualicumque testimonio doctrinae instructi dimittan-
tur.*



tur. *Ab hac inertia TV, VIR OPTIME, longissime abstulisti, TV enim placuisti Summis Viris, quibus ratio collocati in academia temporis publice reddenda est, laudemque plane eximiam TIBI comparasti eo colloquio, in quo multo vix ignominiam repulsae vitant. Sed haec praeclara res tantum absuit, ut segnem TE faceret et negligentem, ut incenderet TE vehementer ad maiorem acrioremque diligentiam, cuius mihi per priuatas exercitationes multa dedisti praeclara documenta. Sed quantum profeceris, haec ipsa scriptio docebit, in qua ad me nihil pertinet, omnia tua sunt, et quam solus facile defenderes, nisi mos et consuetudo academica me TIBI comitem adiungeret. Quare vehementer opto, vt TIBI, quem semper in primis carum habui, et cuius ingenium et probitatem vehementer diligo, omnia contingant ex voto. Tantus enim meus in TE amor est, vt, si a me omnia summa in TE studia officiaque expectaueris, nunquam fallam opinionem TVAM. Vale.*



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle


3

004 335 937



f
Sl.





VTRVM CHRISTVS MATREM GENVSQVE
SVVM DISSIMVLAVERIT ET
DESPEXERIT

DISSERTATIO
THEOLOGICO EXEGETICA
QVAM
PRAESIDE
FRANCISCO VOLKMAR REINHARD

THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBL. ORDIN. AEDI ARCIS ET ACADEM. PRAEPOSITO
CONSISTORII ELECTORALIS ASSESSORE ET
PHILOSOPH. PROFESS. EXTRAORD.

AD D. OCTOBR. A. R. S. CIOIOCCCLXXXIV

E NVMERO EORVM

QVI PRIVATIM SCRIBENDO AC DISSERENDO SE EXERCENT
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES FRIDERICVS VOLBEDING

EX COMITATV BARBIENSI REV. MINIST. CAND.

VITEMBERGAE

LITERIS CAR. CHRIST. DÜRRIL.

